

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Bibliotheca Smithiana, Seu Catalogus Librorum D. Josephi
Smithii Angli Per Cognomina Authorum Dispositus**

Pasquali, Giovanni Battista

Venetiis, 1755

Ante Vitam Fabii Maximi

urn:nbn:de:gbv:45:1-844

tere, ut Te obsecremus frustra; Te enim spectamus, Te intuemur, in Te omnes spes nostræ & cogitationes collocatae sunt. Si Tu Parens deferis filios, ubi alium imploremus? Si Tu despicias, quis sublevabit alius? Noli tuis Civibus, quod etiam alienissimis præstare solitus es, tuum officium denegare. Cura, ut si Te in bello formidarunt hostes, nunc in pace Civives tui atque amici diligent. Patere, ut ii nunc singuli humanitatis & beneficentiae tue periculum faciant, qui olim universi in reprimendis seditionis auctoritatis, prudentiæque fecerunt. Vales enim consilio, vales gratia, auctoritate vales; modo voluntas adsit, omnia confidere potes. Denique illud Periclis hujus, quod lecturus es, semper tibi in ore atque adeo in mente verasetur: qui cum graviter ægrotaret, jamque esset ad moriendum vicinus, collaudantibus vicinis res suas bellicas, admirari se dixit: cur cum tantopere laudassent ea, quorum particeps fortuna esset, & aliis quoque dubibus contigissent; quæ in pace clementer mansuetaque gesisset, silentio præterirent? Quare hunc talē virum ut reliquis in rebus, ita & hac potissimum imitari velis; ne qua tibi ex ejus virtutibus defuisse videatur. Sed jam Plutarchum ipsum ejus mores narrantem audiamus; quem oro, ut libenter legas, & quod pluribus verbis fortasse contendō quam necesse est, me diligas, & apud Summum Pontificem tua commendatione quam gratiosum facias. Vale.

ANTE VITAM FABII MAXIMI

Vertente [1] Antonio Tudertino.

Traditum est a gravibus, sapientibusque viris in conferendis muneribus non modo dantis accipientisque dignitatem, verum etiam rei qualitatem esse servandam atque metiendam; nam si aut gladium mulieri, aut speculum viro elargiretur, aut ensim Philosopho, vel multum indocto librum, penitus inepti atque stulti videremur. Essent enim hujusmodi munera ab ingeniis studiisque hominum peregrina atque aliena, & nulla animi jucunditate, nullo emolumento accipientes afficerentur. Quare ineptissimum penne dicere Apollinem vatem Delphicum, qui aureum Trypodem Socrati dandum judicavit, cum Socrates aurum & argentum, ut ferunt, non amat. Hinc est, quod prudentissimus ille Ulixes cum ingenium atque studia Achillis perceperisset, & vellet illum sub pannis muliebribus celatum dignoscere, arcus & gladios Licomedis natis, inter quos Achilles ignotus aderat, præposuit. Ego itaque cum novissem jamdudum vehementer Te, & religionem, & sapientiam, sine qua mortalem lugubremque vitam degimus, colere, atque studio & suavitate legendi captum esse; institui vitam Fabii Maximi viri clarissimi & in primis prudentissimi, quam nuper latinam fe-

tt 2 ci,

[1] Antonius Paccinus patria & agnomine Tudertinus, auditor fuit Francisci Philelphi, qui lib. xxxiv. Epp. pag. 238. hujusmodi de discipulo suo judicium protulit: *Antonius Tudertinus, qui etsi Auditor fuit meus, tamen Lapo longe inferior.* Vide Ap. Zen. Vols. T. 1. pag. 212. Cortesius vero, et si plerumque severus judex rigidusque cen-

for: *Antonius Tudertinus, ait, non tam scribendo probabilis fuit, quam litteris Grecis evuditus.* De Hom. Doct. pag. 31. Ceterum monet Philelphus loc. cit. nonnullas Plutarchi Vitarum versiones perperam adscribi *Tudertino*, quum re vera *Lapum Florentinum* agnoscant interpretem.

